

philosophi nominantur; nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, praeter studium sapientiae. — Sapientia autem est (ut a veteribus philosophis definitum est) rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus haec res continentur, scientia: cuius studium, qui vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit quod laudandum putet. Nam sive oblectatio queritur animi, requiesque curarum: quae conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt, quod spectet, et valeat ad bene beateque vivendum? Sive ratio constantiae virtutisque ducitur: aut haec ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur. Nullam dicere maximarum rerum artem esse, quum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis: ubi ea queretur, quum ab hoc discendi genere discesseris?

Tusc. II, 4, 5. Philosophia medetur animis, inanes sollicitudines detrabit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed haec ejus vis non idem potest apud omnes; tamen valet multum, quum est idoneam complexa naturam. Fortes enim non modo fortuna adjuvat, ut est in vetere proverbio; sed multo magis ratio, quae quibusdam quasi præceptis confirmat vim fortitudinis. Te natura excelsum quandam videlicet, et altum, et humana despicientem genuit: itaque facile in animo forti contra mortem habita insedit oratio. Sed haec eadem num censes apud eos ipsos valere, nisi admodum paucos, a quibus inventa, disputata, conscripta sunt? Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam, non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et jactatione, iis ut fuerit non didicisse melius: alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio.